

tionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea : * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te : * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis : * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et ostendam illi salutarem meum.

Psalms cxxij.

Ecce nunc benedicite Dominum, * omnes servi Domini :

Qui statis in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri,

In noctibus extollite manus vestras in sancta, * et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit caelum et terram.

Añã. Miserere mihi Domine, et exaudi orationem meam.

Hymnus.

TE lucis ante terminum Rerum Creator poscimus,

Ut pro tua clementia Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia, Et noctium phantasmata; Hostemque nostrum comprime,

Ne polluantur corpora. Praesta, Pater piissime, Patrique compar Unice, Cum Spiritu Paraclito Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. Jerem. xiv. b

TU autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.

R. Deo gratias.

R. br. In manus tuas Domine, * Commendo spiritum meum. In manus.

R. Redemisti nos Domine Deus veritatis. Commendo. Gloria Patri. In manus.

R. Custodi nos Domine ut pupillam oculi. *R.* Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Añã. Salva nos.

Canticum Simeonis.

Luc. ij. e

Nunc dimittis servum tuum Domine, * secundum verbum tuum in pace :

Quia viderunt oculi mei * salutarem tuum,

Quod parasti * ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, * et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri. etc.

Añã. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes: ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Sequentes Preces semper dicuntur, praeterquam in Officio duplici, et infra Octavas.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

R. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo.

Credo in Deum. *secreto.* *R.* Carnis resurrectionem. *R.* Vitam aeternam. Amen.

R. Benedictus es Domine

Deus patrum nostrorum. *R.* Et laudabilis et gloriosus in saecula.

R. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. *R.* Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

R. Benedictus es Domine in firmamento caeli. *R.* Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

R. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus. *R.* Amen.

R. Dignare Domine nocte ista. *R.* Sine peccato nos custodire.

R. Miserere nostri Domine. *R.* Miserere nostri.

R. Fiat misericordia tua Dñe super nos. *R.* Quemadmodum speravimus in te.

R. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

R. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Orémus. Oratio.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle : Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Jesum

Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

V. Dóminus vobiscum. *R.* Et cum spíritu tuo.

V. Benedicámus Dómino. *R.* Deo grátias.

Benedictio. Benedicat et custódiat nos omnipotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. *R.* Amen.

Et non dicitur Fidélium ánimæ. sed immediate dicitur sequens Aña.

A j. Vesp. Festi SS. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum.

Antiphona.

Salve Regína, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus éxsules, filii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílum osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

V. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. *R.* Ut digni

efficiámur promissionibus Christi.

Orémus.

Omnipotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Mariæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti : da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

V. Divinum auxílium máneat semper nobiscum.

R. Amen.

Deinde dicitur secreto. Pater noster. Ave María. et Credo.

Sic dicitur Completorium per Annum.

Si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicatur Pater noster. Ave María. et Credo. quia Completorium quod est finis Officii, sic terminari debet, et ante Matutinum iterum repetitur pro principio Officii sequentis diei.

Aña prædicta dicitur etiam in fine Laudum, quando discedendum est a

Choro : sed si immediate post Matutin. subsequatur Prima, vel alia Hora, dicitur in fine ultimæ Horæ, ita ut dicatur semper, quando terminata aliqua Hora discedendum est a Choro : et tunc post V. Fidélium ánimæ. et Pater noster. secreto, dicitur V. Dóminus det nobis suam pacem. R. Et vitam ætérnam. Amen.

Deinde prædicta Aña, et in fine

V. Divinum auxílium máneat semper nobiscum. R. Amen.

Extra Chorum autem dicitur in fine Laud., si tunc terminandum sit Offic. : alioquin in fine ultimæ Horæ. Post alias vero Horas, quando terminatur Officium, dicitur tantum Pater noster. secreto.

